



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

In Nomine Sanctae Et Individvae Trinitatis, Ego Conradvs Sanctae
Ivvavensis Ecclesiae Archiepiscopus, & Apostolicae sedis Legatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

existente, necessitate urgente in Administratorem ad tempus susceptus fuit, ob. an. 1570.

XXII. IOANNES *Piscator*, professus in *Bernried*, postulatus, præfuit Monasterio annum plus minus, ob. an. 1571.

XXIII. BERNHARDVS *Piscator*, & ipse quoque professus in *Bernried*. obiit 1575.

XXIV. LEONARDVS *Hörman Aiblingen*. Administrationem. suscepit ann. 1576. præfuit an. 13. mens. 3. dies 19. ob. an. 1589. ætatis suæ 80.

XXV. CASPARVS *Holstainer*, Præpositus confirmatus, præfuit ann. 18. ob. an. 1610.

XXVI. WOLFGANGVS *Keiffenstul* modernus Præpositus, frugalitate sua & industria, Monasterio utilitatem, sibi laudem non vulgarem, hæcenus acquisiuit.

S. ZENONIS.

MONASTERIUM Canonicorum Regularium D. Augustini. Conradus Archiepiscopus Salisburgensis, Nepos Babonis Comitis Abenspergensis, apud Reichenhall in Norico Canonicis regularibus sancti Augustini collegium, instituit, quod sancti Zenonis vocant, primumque Præpositum ibi Lonzoneum, ordinavit. Obiit Conradus, postquam XLVI. annis laudabiliter Ecclesiæ Salisburgensi præfuisset, anno, 1147. Auentinus lib. vi. fol. 615. & 623.

Nobiles ibi sepulci de Haslang.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, EGO CONRADVS SANCTÆ IUVAVEN-

sis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Apostolica sedis Legatus.

QUONIAM quidem Christus, cum dives esset, pro nobis pauper factus est, ut nos illius inopia ditaremur: Sic nobis intelligendum est, super hunc egenum & pauperem, ut & vestigia humilitatis eius imitari studeamus, & ei in fratrib. suis minimis, ubi eget & pauper est, benefacere non negligamus. Itaque pauperes Christi Halenses Canonici, cum clamarent ad nos, aurem benignam protinus apponentes eorum vocibus, effectum petitioni ex Pontificali munificentia præstitimus, ipsiq; misericordiam fecimus, ut in die malo liberante nos Domino misericordiam inueniamus. Proinde tradimus omnipotenti Deo, beatæq; Dei genetrici Mariæ, Sanctoque Zenoni, & supradictis fratribus prædium vnum & syluam quod in Cella dicitur, quod Beneficium erat Comitis Cunradi, quod ipse nobis manu sua resignavit, ea de causa, ut prædictæ Ecclesiæ tradere-mus. Quod ita distinctum est in terminis suis, qui iustis nominibus exprimuntur Chympergisort, Munchisfurt, Grunethal, Rintpachis, Vrsprinch, Aschecke, Peutaris. Huius inquam prædij donationem facimus cum omni iure nostro, quod ibidem habuimus, vel habere possumus, & omni utilitate quam ad præsens ibidè inueniunt, & in posterum consequi possunt. Decernim⁹ ergo ut nullo omnino hominum liceat supradictam Ecclesiam, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare: sed illibata oia & integra conseruentur, eorum pro quorū gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsib. omnimodis profutura. Si qua ergo in futurum Ecclesia-

Metrop. Salic. Tom III.

u u

stica